



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 134. Hispanorum clades in Insula Gelviæ a Mauris illata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A.C. 1510.

§. CXXXIV.

*Hispanorum clades in Insula Gelviæ
a Mauris illata.*

Cum Rex Catholicus in alio bello Petri Navarrae opera consiliisque indigeret, eidem in Africa subrogavit Garziam de Toletō, Albæ Ducis filium natū majorem. Hic æstate ad medium vertente factis velis cum septem millibus selectioris militiæ viris in altum procurrit, Petri Navarrae exercitum novis subsidiis aucturus. Vix illuc appulsus, primas eo curas intendit, ut Gelviæ Insulam expugnaret, ambitu suo latissimam, atque inter ceteras Africanæ oræ regiones magis Occidenti adjectam, quæ centum circiter Leucarum intervallo a Tripoli distat: igitur Garziæ classis prope hanc Insulam die vigesima octava Augusti, quæ erat feria quarta, appulsa est, militesque in terram expositi. Ast Mauri, qui haud procul erant, comperta Hispanorum excensione, e sylvarum latebris, in quibus delitescebant, egressi toto impetu in Hispanos sine lege vagantes, atque æstu sitique pene exanimes irruunt. Garzias, cum in densissimas, mediasque hostium turmas irrumperet, cum pluribus belli Præfectis nobilitate generis, ac animi for-

fortitudine clarissimis trucidatus est. Post hæc turbatis exercitus Hispani ordinibus, una omnes præcipiti fuga dilapsi sunt; equidem Navarra, qui ultimæ aciei præerat, protinus accurrit, ac fugitivis ad signa revocatis, infausti impetus damna reparare adlaborat. Ast infirmam esse suorum vim comperiens, & ipse navem repetendi consilium cepit. Desiderata sunt in hoc conflictu Hispanorum quatuor millia & amplius, qua cæsa, qua capta. Navarra demum Tripolin redeunte, Mauri Zafinensem urbem obsederunt, inde vero recedere compulsi sunt.

Sæcul. XVI.
A C. 1510.

§. CXXXV.

Juramentum a Ferdinando coram Madriti Ordinibus innovatum.

Hoc item anno Ferdinandus Montisoni *Marian. lib. 30. num. 2. & 6.* Regni comitia egit, quibus absolutis Cæsar-Augustam contendit, Castellam iturus, ut sinistram Gelvensis expeditionis successum repararet, suorumque militum cædem ipse ulcisceretur; quod tamen haud effectui datum. Ast Madritum delatus, die sexta Octobris coram Castellæ Proceribus solemne Sacramentum

(*) Vide supra Lib. CXXL. §. 57.